

omnibus fanis pater imberbis esset.—Non exsolvit quidem statim Dionysius debita impietati supplicia: at postea insidiis suorum oppressus, interfectus est. — Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.

2. Quum Pyrrhus, rex Epiri, ex Sicilia rediens, Locros classe praeterveheretur; inter alia foeda, quae propter fidem erga vos in civitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinae, intactos ad eam diem, spoliavit: atque, ita pecunia in naves imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo evenit, P. C.? Classis postero die foedissima tempestate lacerata, omnesque naves, quae sacram pecuniam habuerunt, in littora nostra ejectae sunt. Qua tanta clade edoctus tandem, deos esse, superbissimus rex, pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinae referri iussit. Nec tamen illi unquam postea prosperi quidquam evenit: pulsusque Italia, ignobili atque inhonesta morte, temere noctu ingressus Argos, occubuit. — Lancea primum leviter vulneratus fuerat a juvene quodam Argivo. Matrem habebat hic anum pauperulam, quae inter alias mulieres spectans praelium e tecto domus, quum videret Pyrrhum ferri toto impetu in auctorem vulneris sui; timens vitae filii, protinus tegulam corripuit, et utraque manu libratam demisit in caput regis. Quo vulnere dejectus ex equo Pyrrhus, a Zopyro quodam est obtruncatus.

3. Longo post tempore Q. Pleminius, praepositus praesidio Romanorum Locris, quum a sacrorum spoliatione non abstinisset, et eosdem Proserpinae thesauros diripisset, quos olim Pyrrhus: ex senatus consulto Praetor legatique Locros profecti, primam, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere. Omnem enim sacram pecuniam, quaeque apud Pleminium, quaeque apud milites erat, conquisitam,